Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img
src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



vestimenta sua ait Quid adhuc
desideramus testes. Audistis blas-
phemiam. Quid vobis videtur
Qui omnes condemnaverunt eum
esse reum mortis. Et ceperunt
quidam conspuere eum et velare fa-
cem eius: et colaphis eum cedere
et dicere eiphetisa. Et ministri ala-
pis eum cedebant. Et cum esset pe-
trus in atrio deorsum venit una
ex ancillis summi sacerdotis: et cum
vidisset petrum calefacientem se
aspiciens illum ait. Et tu cum iesu
nazareno eras. At ille negavit
dicens. Nesci quid. nesci nosti quid
dicas. Et exivit foras ante atri-
um: et gallus cantavit. Rur-
sus autem cum vidisset illum ancilla
cepit dicere circumstantibus: Iste hic
ex illis est. At ille iterum negavit
Et post pusillum rursus qui asta-
bant dicebant petro. Vere ex ill'
es. Nam et galileus es. Ille autem
cepit anathematizare et iurare
quia nescio hominem istum quem dicitis
Et statim gallus cantavit
Et recordatus est petrus verbi
quod dixerat ei iesus: priusquam
gallus cantet bis. ter me nega-
bis. Et cepit flere:

Et confestim mane consi-
lium facientes summi sa-
cerdotes cum senioribus
et scribis et universo concilio: vi-
cientes iesum duxerunt et tradi-
derunt pilato. Et interrogavit eum
pilatus. Tu es rex iudeorum. At
ille respondens ait illi. Tu dicis
Et accusabant eum summi sacerdo-
tes in multis. Pilatus autem rur-
sum interrogavit eum dicens. No-
n respondes quantum. Vide in quantis te
accusant. Iesus autem amplius nihil
respondit: ita ut mirarentur pila-
tus. Per diem autem festum solebat
dimittere illis unum ex vinctis quem
cumque petissent. Erat autem qui di-
cebatur barrabas. qui cum seditio-
sis erat vinctus qui in seditione
fecerat homicidium. Et cum asce-
disset turba cepit rogare sicut
semper faciebat illis. Pilatus
autem respondit eis et dixit. vul-
tis dimittam vobis regem iudeo-
rum. Sciebat enim quod invidiam
tradidissent eum summi sacer-
dotes. Pontifices autem concitaverunt
turbam: ut magis barra-
ban dimitteret eis. Pilatus at
iterum respondens ait illis. Quid
ergo vultis faciam regi iudeorum
At illi iterum clamaverunt. Crucifige
eum. Pilatus vero dicebat illis
Quid enim mali fecit. At illi ma-
gis clamabant: crucifige eum
Pilatus autem volens populo sa-
tisfacere dimisit illis barraban:
et tradidit iesum flagellis cesum
ut crucifigeretur. Milites autem du-
xerunt eum in atrium pretorii. et con-
vocant totam cohortem: et indu-
unt eum purpura. et imponunt
ei plectentes spineam coronam
et ceperunt salutare eum Ave rex
iudeorum. Et percutiebant caput eius
arundine: et conspuebant eum
et ponentes genua adorabant
eum. Et postquam illuserunt ei exu-
erunt illum purpura: et indu-
erunt eum vestimentis suis et edu-
cunt illum ut crucifigerent eum
Et angariaverunt praetereuntem
quempiam simonem cirenen ve-
nientem de villa patris alexan-
dri et rufi: ut tolleret crucem
eius Et perducunt illum in golgatha